

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
proxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

§. 2. De Matrimonij valore, ministro, usu, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

10. Si contingat Sponso supervenire novam hæreditatem, ita ut illi Sponsa jam sit inæqualis, non habet ideò jus resiliendi, quia non est deceptus in conditione Sponsæ, in qua nulla facta est mutatio. Idem est de Sponsa si ipsi hæreditas nova superveniat. *Sanch. Con. Regin. Dian.* p. 3. t. 4. t. 268.

Quæstio est, An virgo quæ contraxit Sponsalia, possit validè & licitè se solvere ab obligatione Sponsalium de futuro, emittendo votum simplex castitatis in sæculo.

Respondetur affirmativè apud *Lessum in Aetar.* pag. 280. ubi in hanc sententiam adducit *Angelum, Sylvest. Richardum, Domin. Sotum* in 4. dist. 27. q. 2. ar. 5. qui rem resolvit his verbis. Utrum per votum castitatis dirimantur Sponsalia, disputari solet: attamen in dubium vocari non debet quo minus tale votum sit licitum, atque adeò Sponsalia dirimens, cum sit melioris frugis: quæ exceptio semper in Sponsalibus implicatur.

§. 2. De Matrimonii valore, Ministero, usu &c.

1. **M**atrimonium est Sacramentum inter baptizatos, quo vir, & mulier legitime invicem tradunt ius in mutua corpora, in ordine ad perpetuam vitæ societatem, & proliſſectionem.

2. Hujus Sacramenti materia proxima est mutuus consensus utrumque signo externo expressus, in quantum est prædicti juris traditio. Forma autem est idem consensus quatenus habet rationem acceptationis, ut docet *Suar. Vass.* &c.

3. Minister Matrimonii non est Sacerdos, sed ipſi

Pars 3. tract. 4. cap. 8. De Matrimonio. 403
ipsi conjuges, qui contrahendo ponunt consen-
sum conjugalem, in quo consistit materia, &
forma hujus Sacramenti. Verba quæ hunc con-
sensum declarant, debent esse de præsenti, v.g.
Ego te duco, non autem, ego te ducam.

4. Matrimonium dicitur *ratum*, in quo non-
dum secura est copula conjugalis. *Consummatum*
verò quando copula accessit. Probabile est Pon-
tificem posse in Matrimonio rato dispensare.
Certum autem est post Matrimonium *ratum* &
nondum consummatum conjuges posse religio-
nem intrare, aut si unus tantum intraverit,
post ejus Professionem alterum cum quo volue-
rit posse contrahere. Jura cogitantibus de Re-
ligionis ingressu concedunt ab inito Matrimo-
nio bimestre ad deliberandum ante consumma-
tionem.

5. Ad valorem Matrimonii requiritur præ-
sentia Parochi proprii, vel alterius Sacerdotis
ex ipsius aut Episcopi licentia, ac duorum fal-
tem testium, post Tridentinum sess. 24. Cap.
de reformat.

Sufficiunt quicumque testes, modò intelli-
gant quid fiat, & sufficit Parochus viri, vel
feminæ etiam in aliena Dioœcesi, & etiamsi
non sit ipse Sacerdos, & etiamsi præsens con-
tradicat, aut vi detineatur, modo Parochus
præsens cum testibus intelligat quid fiat, scili-
cet videndo, aut audiendo.

6. Denuntiationes, si esset periculum in mo-
ra, posset Parochus postponere ex præsumpta
Episcopi voluntate, & quadam tacitâ commis-
sione. Possunt etiam eæ omitti volente Epis-
copo ex causa. *Sa. Perez, aliquæ ex Trid. sess. 24.*
cap. 1. quod præcipit ut illæ fiant in parochia
utriusque contrahentis, ex declar. Cardin. &
3. diebus

404 Pars 3. tract. 4. cap. 8. De Matrimonio.
3. diebus festivis continuis, non tamen immediatis, de quibus Bonac. q. 2. p. 6. &c.

7. Benedictionem omittere, aut ante eam consummare Matrimonium per se non est mortale: quod si fiant hæc sine causa est veniale, Sa, Sanch. Bonac. p. 4. q. 6. n. 2.

8. Ætas ad valorem Matrimonii requisita in fæmina sunt anni duodecim completi, in viro quatuordecim, & ante si sint potentes ad copulam simul: sufficit vero dicta ætas etiamsi adhuc non possint coire: expectandum vero deinde usque ad annum decimum octavum, ut judicetur an sit perpetuum impedimentum, nec validatur illud Matrimonium per copulam postea sequentem, nisi ad minimum tacitus triusque partis consensus accedat. V. Sa, & Laym. hic cap. 12. n. 1.

9. In dubio an sit legitimum Matrimonium primò initum, non est dissolvendum, sed secundò contractum irritandum. Nec uni soli juranti esse impedimentum, post contractum credendum, semper enim in dubio præsumendum pro Matrimonio. Sa, Menoch. Sanch. l. 1. d. 45. n. 14.

10. Non potest conjux cum altero contraherre nisi habeat certitudinem de morte conjugis. In dubio autem an talis certitudo habeatur Judicis Ecclesiastici arbitrio judicandum relinquatur. Sanch. Sa, Navar. c. 22. n. 56.

11. Bonâ fide conjugati, non sunt admonendi impedimenti à Parocho, vel Confessario, quando probabiliter timeri potest magnum damnum. Sa, Sanch. Navar.

12. Tenetur uxor virum migrantem sequi, nisi aliud esset inter eos conventum, & ipse non cogeretur aliquâ necessitate migrare, aut nisi

ta in
viro
si ad-
de-
n, ut
rum,
popu-
tus u-
, &
oniu-
ed se-
i soli
actum
umen-
. 1.1.
trahe-
jungis.
ur Ju-
inqui-
onen-
fario,
gnum
equi,
c ipse
, aut
nisi

nisi insciens vagabundum duxisset , aut si ipse vellet in honeste vagari , aut cum periculo animae vel corporis , vel post Matrimonium factus esset vagabundus. Covar. Navar. c. 14. n. 20. aliquise.

13. Uxor graviter peccat si marito non obediatur in re honesta , & magni momenti. Quod si vir bona familiæ depositat ut ea prodigè expendat , potest uxor licite ea negare , aut abscondere.

14. Qui certo scit Matrimonium suum esse invalidum , non potest debitum conjugale petere , aut reddere. Si sit dubius , et si possit reddere , petere tamen non potest antequam veritatem debitè inquirat , poste à si nihil certius deprehendat , potest petere , & dubium deponere.

15. Si quis ad uxorem situ præpostero accedit sed in vase naturali , sine periculo effusionis seminis , probabiliter aliqui censem esse tantum veniale , alii docent esse mortale. Si autem congrua ratio subsit , v. g. quod conjux sit gravida , quod sic major sit spes concipiendi , nullum omnino est peccatum.

16. Gravis est obligatio inter conjuges reddendi debitum conjugale , quando recte & moderatae petitur. Si tamen uxor innocens sciat virum mæchatum esse , aut contraria habet jus negandi si velit. Item , si inde metuat sibi grave damnum prolis , aut sanitatis , aut maritum insigniter ebrium advertat.

17. Non licet conjugibus in usu Matrimonii aliquid facere ex quo conceptio prolis directe impediatur , etiamsi periculum in partu , aut paupertas ex multa prole timeretur. Quia sic agerent contra finem principalem Matrimonii , quod est à Deo ordinatum ad prolis generatio-

nem.

406 Pars 3. tract. 4. cap. 8. De Matrimonio.
nem. Possunt tamen propter tale periculum
aut paupertatem cum mutuo consensu absti-
nere.

Quæstio est, An Matrimonium licet contrahatur coram Ministro hæretico, postquam legitimè contractum fuit coram Sacerdote?

Respondet ad hunc casum negativè *Lessius in Auditor, cas. 24.* quia apparet esse professio quædam religionis aut ritus hæretici, eo quod Minister videatur in hoc actu instar personæ sacrae adhiberi. Testatur tamen *Ioan. Verjuys Ord. Prædicorum in suo Pastorali tr. 13. art. 7.* illam esse præxim communem in quibusdam partibus Hollandiæ, & confæd. Provinciarum, sine ultra Catholicorum contradictione, quia alias matrimonia illa non haberentur apud hæreticos legitima, cum magno Catholicorum incommodo, qui hinc non colligunt ullam ritus hæretici professionem, & Ministri appreciantis verba habent tantum pro civili aut politica gratulatione, eoque magis quod hæretici non admittant Matrimonium verum esse Sacramentum.

§. 3. De impedimentis Matrimonii.

Impedimenta dicuntur alia *impedientia* tantum, quæ Matrimonium reddunt illicitum, sed non invalidum: alia sunt *dirimentia*, quæ & invalidum & invalidum constituant. Prioris generis impedimenta sequenti versu exprimuntur.

*Ecclesia vetitum, nec non tempus feriarum,
Atque Catechismus, crimen, sponsalia, votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

I. Ecclesia vetitum, est prohibitio Episcopivel Parochi, quæ fieri potest propter dubium de a- liquo